

Theologiæ, tam Dogmaticæ, quam Symbolicæ, quæ *primâ* Ecclesiæ Veteris ætate Perio-
dus I.
art. I. five *Periodo*, atque etiam *primo ejusdem Articulo*, Adamo divinitus fuit tradita. Cujus Loci præcipui sunt *de Deo*, *de Creatione rerum*, *de lapsu & corruptione hominis*; *de pœnis ejusdem*; *de Semine promisso & liberatione hominis à potestate Serpentis*; *de Cultu Dei interno & externo*; *de Sacrificiis & ritibus*, tanquam Symbolis Sacramentalibus; *de resurrectione, ultimo judicio, & vitâ æternâ*. Describuntur verò prioribus quinque Geneseos capitibus, nec non sexti initio. Hanc Theologiam, non aliam, *Adamus* publicè privatimque tradidit filiis, nepotibus & posteris suis totos 930. annos: & post ipsum cum alii Patriarchæ, tum maximè *Seth, Enoch, Mathusalem, & Noach*, præco justitiæ dictus 2. Pet. 2. v. 5. repetiverunt. Ut per *decem Patrum generationes* ante diluvium idem genus Theologiæ sonuerit & obtinuerit in verâ Ecclesiâ.

Cæterum sicut *Cain*, ob fratricidium, impœnitentiam & hypocrisin, Dei senti- Theo-
logia
falsa
Caini. tentiâ à communione Veræ Ecclesiæ exclusus fuit; ita quoque à veræ Theologiæ doctrina, quam à pio Patre hauserat, non multò post defecit & suggestioni Satanae suoque ingenio indulgens, novam sed falsam Theologiam primus commentus est: quam nonnulli *Viam Caini* nuncupari Jud. v. 10. 11. & cum Pseudoprophetarum imposturis conferri 2. Pet. 2. v. 1. & seq. autu-